DE HELMINTHIASI GENERATIM PERSPECTA DISSERTATIO INAUGURALIS...

Carlo medico Benini (medico)

Digitized by Google

DE

HELMINTHIASI
GENERATIM PERSPECTA

Dissertatio Inauguralis

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DIRECTORIS, AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D.D. PROFESSORUM PRO DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE CONSEQUENDIS IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

DOCT. JOSEPHO MORETTI
Botanices Prof. Ord.

CUM ADNEXIS THESIBUS DEFENDENDIS

Mense Martii anno MDCCCXLIV.

PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT

BENINI CAROLUS

BAGOLINO IN PROVINCIA BRIXIENS.

TICINI REGII
Ex Typographia Fusi et Socii.

Digitized by Google

108

Digitized by Google

ALL' AMOROSO MIO ZIO

GIACOMO BENINI

QUESTO TENUE ED IMMATURO FRUTTO

DE' MIEI STUDJ

IN PEGNO DI AFFETTUOSO AMORE

DI VERACE RICONOSCENZA

VOLENTEROSO CONSACRO.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE HELMINTHIASI.

Inter tot, innumeraque mala humanum genus adfligentia, inter illa quae potissimum aetati infantili ac puerili infensa sunt, procul dubio vermes principem tenent locum. Quum ideo aliquam dissertationem conscribere debeam, ut medicinae lauream capessere possim, haud inane opus putavi, aliqua colligere circa hosce infensos hospites; de istis generatim sermonem habebo, et per quantum meae vires infirmae sinent, conabor huc et illuc ab auctoribus colligere ea, quae ad meam rem faciunt.

DIVISIONES.

Plures et quidem diversae vermium species habentur in corpore humano nidulantium, qui pro varia eorum sede dividuntur in *viscerales*,

Digitized by Google

atque *intestinales*, prouti viscera, aut intestina inhabitant.

Ad viscerales referuntur = *Filaria Medinensis*, *Filaria Dracunculus* textum cellulosum subcutaneum incolens, *Strongilus Gigas* qui interdum in hominum renibus repertus fuit; *Distoma Hepaticum*, quod in ductubus biliaribus hepatis, nec non in cystide fellea reperitur; *Polystoma Pinguicola* una tantum vice inveniebatur a *Treuttler* in ovariis humanis pinguedine involutum, et ab ipso sequenti modo descriptum = Polystoma depressum, oblongum, leve, antice truncatum, postice acuminatum, poris sex anticis, lunatim positis = *Cysticercus Cellulosae*, in textu celluloso musculari, atque in cerebro nidulans; *Hydatis*, ceu *Echinococcus* in omnibus fere partibus repertus fuit.

Longe frequentius vermes in tubo intestinali evolvuntur, atque intestinales dicuntur, quamvis sint pariter vermes viscerales. Plures quoque species intestinalium habentur, scilicet: *Tricocephalus dispar*, *Oxyuris vermicularis* (Bremser), *Bothriocephalus latus*, seu *Taenia lata membranacea*, in Helvetia et Gallia communis, quaeque dicitur a Brera *Taenia humana inermis*; *Taenia cucurbitina* sic dicta propter suam similitudinem cum semini-

Digitized by Google

bus cucurbitae, a Brera nuncupatur *Taenia humana armata.*

SYMPTOMATA.

Vermes isti quando in humano corpore evoluti sunt, varia symptomata edunt; ut haec autem dignoscantur, in mentem revocandi veniunt characteres pertinentes ad varias species vermium, qui in pathologia generali traduntur. Diversa igitur symptomata edunt, pro varia sede, specie, nec non constitutione individui, atque morbi complicatione.

Diagnosis vermium, quotiescumque isti non in intestinis, sed in aliis visceribus sedes habent, semper dubia est; functio partis utiquam laeditur, sed difficile statuitur, an hoc a vermibus, vel potius ab alia causa pendeat; ita Distoma hepaticum, frequenter excitat hepatalgias recurrentes, et colorem flavum cutis; sed ista phoenomena ab aliis quoque causis pendere possunt; Echinococcus in cerebro, furorem aliquando provocare valet, sed hoc constans non est.

Nulla igitur habentur symptomata, quae ad existentiam vermium in visceribus concludere faciant, quos vero anatomes pathologica demonstrat. Quum autem vermes in intestinis

Digitized by Google

sint, tunc eorum diagnosis facilior evadit; nonnunquam vermes in intestinis, innocui, indifferentes sunt, atque casus infantium occurrunt, qui vermes evacuant sine ullo incommodo; interdum quoque hospites salutares sunt, nam succorum nutrientium exuberantium consumunt, sed hoc praeceptum nimis generale fieri minime debet, ex eo quod vermes varia symptomata molesta saepe producunt, ipsamque mortem excitare valent; hic vero monendum est phoenomena producta a vermibus in intestinis collectis, ab aliis quoque causis excitari posse; propterea omnia momenta diagnostica colligenda sunt.

Aliquando praesentibus etiam vermibus, corporis habitus laudabilis redditur; ast longe saepius est cachecticus qui a Nosologis helminthicus dicitur; et haec observatio adeo vera est, ut vulgaris quoque facta fuerit. Igitur in hac cachexia facies pallescit, tumet, palpebrae post somnum oedematosae fiunt, praesertim inferiores; oculi anulo livido cincti, abdomen tumidum ac durum, hisce symptomatibus manifestatur habitus helminthicus.

A praesentia igitur vermium in tubo intestinali excitantur symptomata topica, et consensualia diversa. Topica sunt: dolores suscitantur ob tubi intestinalis irritationem, et pro

Digitized by Google

varia individui sensibilitate, nunc mites, nunc vehementes sunt, remittunt, intermittunt, interdum quoque omnino silent; dum alias tantummodo imminuuntur, atque sedem mutant. Utplurimum stomacho jejuno majores sunt, post cibos et potissimum nonnullos, uti lac, imminuuntur; si vero adsumuntur cibi irritantes, dolores illi exasperantur.

Isti dolores aliquando comitantur spasmis, nempe contractionibus spasticis, et praesertim musculorum abdominalium; inde tubus intestinalis et parietes abdominales spastice contrahuntur, ideoque alvus stipsi laborat; saepe intestina morbose dilatantur a gazis in intestinis collectis, unde abdomen tumidum, ac metheoriticum fit. Per irritationem vermium, major fit secretio succi pancreatici, et per motum antiperistalticum adauctum in stomachum, ac dein per oesophagum ad os defertur. Non raro contingit quoque major bilis secretio, quae modo per vomitum, modo per secessum evacuatur; hinc nil mirum si in helminthiasi vomitus biliosus, aut diarrhoea biliosa adpareat.

Alias copiosa accidit muci secretio, qui modo tenuis, modo spissus, vomitu aut diarrhoea evacuatur; quare clarissimus *Raimann*, aliique recte opinant cachexiam pituitosam seu mucosam, cum helminthica valde congruere. Itidem

Digitized by Google

salivae secretio ob consensum glandularum cum pancreate intenditur. Aliquando vermes intestinales ingrediuntur ductum choledocum, aut pancreaticum, nec non ventriculum, atque tunc ominosa symptomata edunt, ipsamque phlogosim suscitare valent.

Quum vermes ingrediuntur ductulos nonnullos, tunc horrenda symptomata excitare valent. Praeter symptomata topica, producuntur quoque phoenomena consensualia: ob morbosam autem adfectionem partis inferioris tubi intestinalis, pars superior quoque patitur; interdum appetitus valde imminuitur, longe frequentius vero exaltatur, et fames ipsa morbosa adparet; appetuntur cibi farinacei et lactei, quodque praesertim in pueris observatur. Aegri saepe experiuntur repetitas gastralgias, nauseam, vomituritiones, et vomitum ipsum, quo bilis, succus pancreaticus, et mucus evacuatur.

Ille mucus autem qui in superficie linguae observatur, non solum a vomituritione pendet, sed etiam ab adfectione sympathica membranae mucosae; ita quoque major salivae secretio pendet ab irritatione sympathica glandularum salivalium. Qualitas quoque muci mutata est, quare oris halitus foetorem peculiarem spirat, caepae, aut allii sativi. Sympathicas adfectiones organa sensuum quoque experiun-

Digitized by Google

tur, quare pruritus nasi, partim ob copiosam secretionem muci, partim ob sympathicam irritationem nervi nasalis, quare pueri manubus nasum velicant. Olphactus nonnunquam obtusus fit, vel diversimode perversus, ita ut aegri diversas sensationes saepe persentiant. Gustus fatuus evadit, visus debilis, languidus, et interdum quoque nullus, ut vera amaurosis sympathica habeatur, atque pupilla multum dilatata est. Auditus pariter obtunditur, vel et ipsa cophosis occurrit; alias tinnitus aut aurium sussurrus in scenam comparent. Non raro musculi quoque per vermes sympathice afficiuntur, quare habentur musculorum spasmi, motus convulsivi, visus sardonicus, singultus, chorea S. Viti, eclampsia, epilepsia, tetanus.

Paralyses ipse transitoriae aliquando oriuntur, non solum in organis visus et auditus, ita ut habeatur Amaurosis vel Cophosis sympathica; sed etiam in extremitatibus, in organis vocis, in lingua, quare balbuties et aphonia. Ipsum cerebrum in compassionem trahitur, unde animi morositas singularis, tristitia, melancholia, stultitia, ipsaque mania. Somnus quoque abnormis fit, ita aliqui multum dormiunt ob torporem quo adficiuntur, quodque eo magis in pueris observatur: alii sub somno inquieti sunt, dentes stridorem edunt, musculi

Digitized by Google

tremiscunt, pueri ejulant, exclamant, loquuntur; atque somnambulismo quoque laborant.

DIAGNOSIS.

Ex hisce adparet quantum difficil's evadat diagnosis vermium intestinalium, tanta enim est farrago symptomatum, ut cum aliis adfectionibus facile confundi possint. Ex hisce symptomatibus consociatis suspicium haberi potest de vermibus, non vero diagnosis certa, quae nunquam habetur nisi vermes evacuentur; illa enim symptomata ab aliis quoque causis pendere possunt.

Igitur in diagnosi materiae per vomitum, aut per anum excretae examinari debent, ut vermes integri, vel partes eorum conspici possint, et hoc magis necessarium est, ut diversae vermium species distingui queant, nam diversos effectus producunt, atque diversa adhibenda est therapia. Ita Tricocephalus dispar licet frequentius in tubo intestinali, praesertim in crasso, interdum quoque tenue intestinum petit; tamen nulla fere symptomata praesentiae suae offert, uti *Rudolphi* et *Bremser* monent, nisi in excretis observetur. Ascaris lumbricoides in intestino tenui frequenter moratur; sed aliquando invenitur quoque in crasso, ventri-

Digitized by Google

culo, atque ab hocce symptomata communia helminthiaseos producuntur. Oxyuris vermicularis in recto intestino reperitur circa anum, et pruritum molestissimum, ardorem intolerabilem ad anum, potissimum vespere ac per lecti teporem, tenesmum quoque, secretionem muci, et sanguinis provocat in intestino recto; aliquando etiam penetrat in vagina atque in urethra mulierum, primo in casu nymphomaniam, secundo pruritum intolerabilem, blènorrhoeam, ac phlogosim producit.

Bothriocephalus latus, et Taenia solium, difficile insimul occurrunt; nisi portiuncula aliqua cernatur, impossibilis est diagnosis, distinguere nempe unam ab altera specie in homine vivo. Taenia producit saepe puncturas subitaneas, aut morsiunculas ad epigastrium, praesertim ad regionem ventriculi; motum undulatorium serpentinum in intestinis, potissimum circa umbilicum, quod a motu vermis pendet in intestinis tenuibus, et etiam in crasso, aliquando vermis contrahitur, atque tunc illa in parte pondus aeger persentit, utpote corporis quod sedem mutat, etiam enteralgiae, cholicae, paraeses atque paralyses gignuntur.

Diagnosis hujus vermis certa habetur, solummodo quando pars ejus evacuatur, atque tunc non difficilis est; nam articuli nonnulli

120

saepe connexi aliquando corrupti, interdum vero recentes, et motu quodam etiam gaudentes evacuantur. Sed quamvis vermibus evacuatis de praesentia eorum dubitare haud amplius liceat, et si attente considerantur characteres physici a quibus diversae species distinguuntur, tamen diagnosis adhuc dubia remanet, nam vermes evacuati indifferentes esse poterant, atque symptomata ab alia causa pendere, atque tantum per vermes exasperari.

AETIOLOGIA.

Nonnulli, uti *Rosen-de-Rosenstein* credunt cum *Linnaeo* in corpore humano vermes evolvi ob ovula quae cum aqua et alimentis ingeruntur, quaeque inde evolvuntur. Alii vero uti *Rudolphi* et *Bremser* vermes quales in corpore vivo evolvuntur, neque in aqua, neque in terra reperiri dicunt; et etiam vermes aliorum animalium, ab illis qui in corpore humano evolvuntur, fabrica organica distinguuntur: porro vermes non solum in intestinis reperiuntur, sed quoque in musculis, in textu cellulari, cerebro ipso; ideo non concipi potest quomodo ibi ovula delata sint.

Insuper teneri infantes, qui nisi lacte materno aut nutricis vescuntur vermes numerosos

Digitized by Google

intestinales evacuarunt. In neonatis quoque vermes, uti Ascaris lumbricoides, inventi fuerunt; atque in foeto taenia ipsa.

Ab hisce demonstratur vermes qui in humano corpore evolvuntur, nec ab aqua, nec ab alimentis vel terra provenire, neque ab aliis animalibus in cibum conversis; sed per generationem sic dictam equivocam procreari, uti jam *Aristoteles* autumavit, ac putant adhuc *Rudolphi* et *Bremser*.

Ad evolutionem cachexiae sic dictae verminosae, requiritur peculiaris dispositio, quae saepe agnoscitur, et post nativitatem se prodit; hinc aetas infantilis, et puerilis, sexus foemineus, magis quam aetas adulta, et mares ad vermes praedispositi sunt. Insuper confert ad illos generandos debilitas ventriculi, digestio languida, abundantia muci in primis viis: influxum quoque habet clima, et atmospherae constitutio, quare Batriocephalus latus frequens est in Russia, Polonia, rarus in Oriente in Hungaria in Anglia, ubi potius Taenia solium observatur. Apud nos nescimus quaenam species sit magis frequens, neque constitutionem peculiarem atmospherae detegere valemus, sub qua facilis et longe frequens est vermium evolutio.

Quum hujusce morbi Nosogenia plerumque

lateat, oportet investigare causas remotas, disponentes et occasionales, sub quibus vermes facile evolvuntur. Sed illae praedisponentes ad vermium genesim, plerisque in casibus medicis latent, si excipimus cachexiam pituitosam, qua praesente in humano corpore, magna adest dispositio ad vermes generandos. Relate ad causas vero quae, praesente jam dispositione vermes producere valent, observatum fuit quod vita otiosa, sedentaria, aër humidus et corruptus, pravis exhalationibus inquinatus, alimenta farinacea, lactea, oleosa, illi qui piscibus vescuntur, facile gignunt vermes. Tamen non semper helminthiasis ab hisce causis pendet; nam in subjectis qui cibo optimo vescuntur vermes procreantur, quodque vero pendet a dispositione individui: verum igitur est quod causae positivae constantes helminthiaseos adsignari non possunt, tamen vero frequentiores sunt causae dictae; haec autem cognitio valde ad morbi diagnosim statuendam confert.

Digitized by Google

PROGNOSIS.

Ex hisce omnibus momentis diagnosticis prognosis dependet, quae varia esse debet pro diversis casibus. Vermes intestinales saepe indifferentes sunt, et a pueris sanis evacuantur, quin ulla incommoda antea demonstrarent. Saepe vero isti excitant dolores colicos, spasmos, paraeses, paralyses, sensationes morbosas; aliquando nutritio impedita est, et evolvitur habitus cachecticus, febris hectica, atque nonnunquam intestina quoque per vermes obstruuntur, ac habetur pertinacissima alvi obstipatio; alias e contra evolvitur ileus, enteritis lenta, chronica, etc.

Hujusce morbi prognosis dein varia esse debet pro diversis momentis diagnosticis, et nosogeneticis; si helminthiasis simplex est, et recens, therapia facilis, atque prognosis laeta esse queit; si e contra inveterata, ac complicata praesertim cum scrofula, cum nevrosibus, cum inflammatione acuta, aut chronica, tunc prognosis reservata esse debet.

Differt etiam praesagium pro diversa vermium specie, ita Ascaris lumbricoides facile plerumque eliminatur; Oxyuris vermicularis nonnisi longae cedit curae. Vermes lati ex-

Digitized by Google

pelluntur, sed tantum in parte, quare reproducuntur, propterea prognosis caute pronuntianda.

CURA.

Therapia difficilis, semper ambigua et incerta est: cura in vermes viscerales vix institui potest, sed tantum contra vermes intestinales. In hujusmodi therapia peragenda, perspicere oportet utrum morbus simplex sit, an complicatus cum aegritudine periculosiore, uti cum inflammatione intestinorum; tunc enim cura hujusce adfectionis magis urgens est, et promptam nec non appositam medelam exposcit; error enim esset illam in helminthiasim dirigere. Plura remedia contra vermes juvant, nonnulla evacuantia, alia emetica, alia enecantia vel etiam stupefacientia sunt, quaeque anthelmintica etiam vocantur, quare vermifuga distinguenda sunt ab helminthicis.

Evacuantia interdum valde praestant, et saepe ex se helminthiasis curam faciunt. Vera anthelminthica non habentur, sed variant pro diversa specie vermium, nec non aegrotantium constitutione; nonnulla vero remedia quae vermes enecare possunt, magna dosi porrecta, citius homini, quam vermibus infensa

Digitized by Google

sunt; si vero minori dosi porriguntur, vermes devincere non valent; quare anthelmintica reapse talia dici non merentur. Non raro adsunt signa saburrae, atque ubi symptomata inflammationis in tubo gastro-enterico deficiant, tunc emetica valde juvant.

Sed observandum sedulo est ne haec symptomata gastrica nupta sint cum phoenomenis inflammationis delitescentis, tunc error esset propinare emeticum, ne morbus augeatur; sub hocce verum statu optime ducit suppeditare purgantia blanda, eo magis si aegri doloribus vexantur; quare praestant olea amygdalarum, ulivarum, et etiam ricini; in pueris ad cochlear coffeanum, in adultis ad cochlear commune, sive ab *uncia dimidia* ad *unam*, repetitis vicibus intra nycthemerum exhibitum.

Interdum ad olea fortiosa anthelmintica devenire oportet, quae reapse juvant, sed adhiberi debent praesentibus nullis doloribus, et symptomatibus inflammationis aut saburrae. In cura ideo helminthiasis investigandum est utrum habeantur signa saburrae pituitosae, quae agnoscitur a lingua muco tenaci albo tecta, a sapore limoso oris, ab intumescentia abdominis, a vomituritione, et vomitu ipso mucoso-bilioso, ab evacuationibus alvinis pariter magnam muci copiam continentibus; et si adest saburra pi-

tuitosa in ventriculo, aut in intestinis, tunc olea blanda, ac purgantia mitiora nullum effectum producunt, atque ad fortiora irritantia deveniendum est, uti essent sulfas magnesiae, potassae, sodae, qui praescribuntur dosibus diversis pro aetate, et constitutione aegri. Saepe ob statum tubi intestinalis torpidum, evacuationes promoveri debent per purgantia acriora, uti radix rhei, jalappae, resina jalappae; vel etiam drastica potentiora uti gummi gutta, scammonium, momordica elaterium, oleum crotonis tilii vel euphorbiae lathiridis.

Sed interdum haec remedia noxia sunt, et morbum levem graviorem faciunt, immo lethalem, ergo magna circumspectione adhiberi debent; valde juvat jalappa sola, aut melius calomelano nupta. Ast evacuantia aliquando non juvant, alvus frequenter ponitur, sed vermes fortius tubo intestinali adhaerent, neque evacuantur: tunc praebentur purgantia nupta cum anthelminticis, attamen haud semper effectum producunt.

Inter remedia anthelmintica enumeratur quoque aqua frigida, valde commendata a *Rosen-de-Rosenstein*; observatum enim fuit quod vermes evacuati vegetes, ac vivi, in aqua frigida statim rigescunt, et moriuntur; ita explicatur quomodo per potus frigidos, per decoctum

Digitized by Google

mercurii metallici, quod ab exacta analysi chemica comprobatum fuit nil continere possint vermes fugari. Dein inter anthelmintica recensentur radix alii, cepae, semina santonici, quae principium peculiare Santonina dictum continent, quaeque magna pariter virtute pollet in helminthiasi; prosunt quoque semina tanaceti, sabadillae sed raro illis utimur, nam principio suo acri facile inflammationem provocant.

Cortex Chenopodii surinamensis, Corallina corsicana, Fucus helmintocorton, quae remedia plus minusve sibi laudes promerita sunt. Verum non sufficit agnoscere remedia quae contra vermes generatim juvant; sed quoque dignoscendum est quaenam therapia requiratur in hanc vel in aliam vermium speciem.

Ascaris lumbricoides interdum contingit in ventriculo, atque tunc symptomata gastrica graviora, ipsamque febrim provocant, quo in casu tartarus emeticus scopo emetico valde juvat. Tartarus stibiatus mirandos effectus producit in hisce casubus, et quoque utilis est quia suppeditatur solutus in aqua, talique pacto pueri et infantes decipiuntur.

Saepe vero vermes isti tubo intestinali sunt, tunc remedia purgantia, simulque anthelmintica exhibenda sunt. Veteres utebantur decocto mercurii vivi, sed hoc juvat tantum propter aquam,

atque interdum omni efficacia destituitur. Magnam laudem sibi promeruerunt contra hos vermes semina santonici, electuarium *Sterchii*, ad cochlear coffeanum omni 3horio vel 4horio propinatum, et per plures hebdomadas adhibitum vermes debellare valet; prosunt pariter electuarium *Bremseri* nec non *Brerae*.

Non raro exhibetur pulvis seminum santonici ad *scrupulum unum* mane et vespere forma pulveris cum saccharo, vel pillularum cum melle, aut aliquo grato syropo, atque continuatur per unam vel duas hebdomadas, inde suppeditatur radix jalappae cum calomelano, quae diversa dosi pro aegrotantis aetate praescribuntur. In Clinica vidimus proficere methodum simpliciorem, et juvare pulverem jalappae cum seminibus santonici, et in pueris jalappam cum calomelano; nec non oleum seminum ricini, quod a Gallis virtute anthelmintica praeditum dicitur.

Vermibus istis evacuatis non continuatur in usu purgantium, quia irritationem provocare possunt, et vitae vires debilitant, quae igitur per roborantia amara, tonica, per martialia extolluntur; et haec remedia uti nonnulli autumant, novam vermium formationem praecavere valent.

Difficilior evadit cura Oxyuris vermicularis,

Digitized by Google

nisi restrictus sit tantum ad intestinum rectum, quo in casu introducitur in recto intestino conus obtusus sapone confectus, et melle illinitus, atque exinde extrahitur verminibus adhaerentibus; aut introducitur conus similis ex lana vel gossipio compositus, ac oleo tanaceti illinitus; introducuntur etiam frustula nonnulla unguenti neapolitani. Interdum istis vermes quoque in reliquo tubo intestinali adsunt, tunc cura localis, et remedia in anum introducta non sufficiunt, et remedia interna quoque suppeditanda sunt.

Bremser commendat electuarium *Sterchii*, quod per hebdomadas adhibetur, atque verminibus evacuatis, clysmata proponit ex infuso radicis valerianae silvestris et seminum tanaceti, cum oleo aut melle, laudat etiam decoctum corallinae corsicae; postea remedium purgans ex infuso rhei suppeditatur. Decoctum hoc corallinae non solum per os, sed quoque per anum forma clysmatis usurpatur, atque utile est contra Oxyurem vermicularem.

Frank proponit remedium ex pulvere radicis rhei cum cinabro artificiali ad ana *drachmam semis;* alii praescribunt rheum cum calomelano, rheum ad *grana sex*, et calomel ad *granum unum*; aliqui resinam jalappae cum calomelano ana *grana quatuor* adultis in qui-

Digitized by Google

bus major est tolerantia; interdum additur aloe soccotrina ad gr., atque per haec remedia evacuantur, et enecantur etiam vermes.

Hisce vero suppeditatis, et quando plures alvi evacuationes aeger habuit, neque vermes evacuati sunt, tum adhiberi etiam possunt clysmata ex aqua frigida, et si nullus effectus obtinetur, tunc sal communis, vel sal ammoniacus, vel etiam sal anglicus adjungi potest; nec non clysmata ex decocto tanaceti, infuso seminum santonici, infuso et decocto corallinae corsicanae ecc.

Verum interdum morbus pertinax est, hinc nil mirandum si aliquando fere nullo effectu, et jam per longum tempus multa et multa remedia anthelmintica jam adhibita fuerint.

Adhuc magis difficilis est cura vermium latorum, qui valde medicaminibus resistunt. Contra hos nonnulli proponunt sales purgantes dummodo generosioribus dosibus propinentur, sed plerumque nullum effectum habent. Laudantur itidem methodus diversae: methodi vero omnes contra hos vermes, plura pharmaca et quidem purgantia, drastica diversa continent, uti gummi gutta, jalappa, calomel magna dosi propinatum; radix polipodii filicis maris, radix valerianae silvestris, cortex radicis mali punici, etc. ex hisce concludere possumus methodum

Digitized by Google

nullam ita specificam esse; ut semper teniam expellere valeat; methodum igitur naturae individuali morbi adcommodare oportet.

Ad curam aegrum praeparare oportet per duos, tres, vel quatuor dies cum victu tenui, juscula tantum suppeditando, aliquibus vero cibum vegetabilem concedere possumus. Radix polipodii filicis maris principium aere resinosum non bene adhuc definitum continet, et in utraque taenia laudatur; sed nonnulli putant specificum esse in botriocephalo.

Medici radicem hanc varia methodo suppeditant; juxta methodum *Otier* aegro parato de mane exhibetur pulvis radicis filicis maris ad *drachmas tres* in aqua foliorum tiliae; deinde suppeditantur olei seminum ricini *unciae tres* in tribus vicibus, non raro sufficit prima dosis, scilicet *uncia una*; si vero effectus non producitur, tunc ad secundam, et tertiam dosim confugimus. Ad mentem *Pescier* radices filicis maris macerantur in ethere sulphurico, et balneo maria liquidum destillatur, talique ratione obtinetur juxta nonnullos principium oleosum, juxta alios resinosum, et cum hoc principio, et extracto filicis maris pilulas conficit, quarum una guttam principii efficacis continet, et octo pilulae mane una omni vice jejuno stomacho sumptae taeniam et botriocephalum praesertim fugare valent.

Digitized by Google

Contra taeniam solium a *Petro Frank* et *Huffeland* laudatur stamnum granulatum, vel limatum Anglicanum ad unciam unam. Secundum observationes repetitas contra vermes teretes et latos, remedium efficacissimum esset oleum therebentinae a *drachma una*, ad *unciam semis* intra nycthemerum adhibitum. Si vermis in intestino crasso, aut colon descendente adest, tunc hocce oleum etiam sub forma clysmatis adhibetur.

Contra vermes latos oleum destillatum *Dippellii*, vel oleum animale foetidum *Chaberti* juvat; per duas hebdomadas suppeditatur aliquod electuarium anthelminticum praecipue illud *Sterchii*, ac deinde praebentur duo cochlearia coffeana olei *Chaberti*; sed remedium hoc non juvat, nisi suppeditatum dosibus majoribus ad *drachmas duas*, *unciam semis*, vel *unam* in nycthemero, et sine damno porrigi potest; ad saporem vero ingratum tollendum aeger postea sumat aliquam aquam aromaticam. Si aliqua incommoda producit, uti vertiginem, cephalaeam, etc. dosis imminuitur, sed illico remedium non debet suspendi, nam intra paucos dies aegri assuefiunt, et augeri potest dosis pedetentim.

Tamen non semper optatum producit effectum, et magis proficuum evadit aliis praemis-

Digitized by Google

sis anthelminticis, potissimum si jam insignis vermis portio expulsa fuit; atque ex investigatione patet caput et aliquam portionem in corpore adhuc remanere: per hoc remedium vermis evacuatur non ad magnas partes, sed in frustulis divisus, immo emollitus ac corruptus. Observatum quoque fuit remedium hoc effectus non producere nisi exhibeatur per longum tempus, per hebdomadas, vel menses.

Ex observationibus nuper institutis habemus quoque aliud remedium simplicius, quod ab initio in India dum medici Angli ibi artem salutarem agebant, deinde in Anglia, atque postea pedetentim in Gallia, Italia, tardius Germania, nunc in tota Europa notum; remedium hocce habetur in cortice radicis mali punici.

Post quam aeger victu tenui per aliquos dies paratus fuit, exhibetur remedium quod ita paratur.

℞. Corticis Radicis Mali Punici
uncias duas
maceretur per 24 horas in
Aquae fontis *libras duas*
dein ebulliat ad colaturam
unciarum octo

Digitized by Google

D. S. capiat aeger binis vel tribus vicibus. Postea aeger sumere debet oleum seminum ricini ad *uncias duas*, vel etiam *tres* repetitis vicibus.

Aliqui remedium hoc in pulvere praeferunt; alii commendant unionem cum jalappa, cum radice filicis maris, quae omnes methodi non sunt nisi modificationes, sed fundamentum semper consistit in actione corticis radicis mali punici. Sed candide fatendum est medicos huic remedio nimias laudes tribuisse, et quamvis exhibeatur aegro praeparato, et omnia praecepta sequantur, quoad radicem seligendam, aetatem ejus, praeparationem remedii, ad conditionem aegri, non semper pharmacum votis respondet; ideo nil mirandum si hoc quoque remedium medicum fallet.

Habetur itidem contra taeniam methodus sic dicta Nufferiana, quae consistit in radice filicis maris una cum pluribus purgantibus drasticis; haec methodus ab auctoribus diversimode modificata fuit; sed quum nostris temporibus fere omnino obsoleta sit, fusius de illa dicere opportunum non censeo.

Interdum omnia anthelmintica non valent, tunc maxima circumspectione suppeditari debent drastica. *Selle* in hoc casu proponit in-

Digitized by Google

ter remedia drastica gummi guttam, eamque mane jejuno stomacho suppeditare dicit. Ille praescribit vespere aliquod oleum, et mane sequente adultis suppeditat gummi guttae *grana decem*, etsi post duas horas taenia adhuc non evacuatur *grana decem* iterum porrigit, atque clysma cum lacte adplicare jubet; si effectus quoque non obtinentur, post duas horas altera dosis, scilicet *grana decem* porriguntur.

Recentiores nonnulli laudant oleum crotonis tilii a *gutta una* ad *duas* in nycthemero exhibitum; sed drastica enteritidem periculosam facile provocant. Aliud remedium propositum fuit, quod obtinetur a cortice radicis mali punici in infuso alcoholico immisso, atque evaporationis ope suppeditat principium resinosum, quod extractum alcoholicum mali punici dicitur.

Habetur quoque extractum alcoholicum polipodii filicis maris; extractum alcoholicum mali punici propositum fuit a *drachma una*, ad *duas* usque ad *unciam semis* forma boli vel pulveris, atque ad sydera tollitur; ast professor *Corneliani* qui pluries hoc tentavit in Clinica Ticinensi, nunquam expectatos effectus vidit; etiamsi diligenter praeparatum, et ad doses generosiores, uti illae quae proponuntur, exhibuisset.

Digitized by Google

Ergo contra taeniam, quamvis multa pharmaca, et diversissimis methodis exhibita, proponantur, nullum tamen habetur remedium tutum, neque ulla medendi methodus certa.

FINIS.

Digitized by Google

THESES DEFENDENDÆ.

1. Helminthiasim non morbum, sed symptoma.

2. Venerem mercurius, mercurium mars vincit.

3. Choream modo promovere morbos, modo sanare.

4. Vinum baculum senectutis.

5. Conditionem pathologicam nevrosium mysterium.

6. Natatum juvenibus non modo proficuum, sed necessarium.

99 33f26

Digitized by Google